

**De potioribus arteriae anevrismaticae ligandae methodis praemissis
duorum anevrismatum feliciter sanatorum historiis : commentatio
chirurgica / auctore Carolo Augusto Kuhl.**

Contributors

Kuhl, Carl August, 1774-1840.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Lipsiae : Apud Carolum Franciscum Köhlerum, 1824.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/k86rbvwm>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

20
DE

POTIORIBVS ARTERIAE

ANEVRYSMATICAE LIGANDAE METHODIS

PRAEMISSIS DVORVM ANEVRYSMATVM FELICITER

SANATORVM HISTORIIS

9
COMMENTATIO CHIRVRGICA

A V C T O R E

C A R O L O A V G V S T O K V H L

PHILOS. ET MEDIC. DOCTORE, CHIRVRGIAE IN VNIVERSITATE LITERARVM

LIPSIENSI PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO.

ACCEDVNT IV TABVLAE AENEAE.

L I P S I A E

APVD CAROLVM FRANCISCVM KÜHLERVM.

MDCCCXXIV.

OTIORIBVS ARTIBVS

ANALYTICAE LINGVAE METHODIS

HAEMISSIS DVORVM ANALYTICARVM FELICITER

AVTHORIS HISTORIA

COMMENTATIO CRITICA

AVTHORIS

AVTHORIS AVTHORIS

AVTHORIS AVTHORIS

AVTHORIS AVTHORIS

AVTHORIS

AVTHORIS AVTHORIS

AVTHORIS

Vti multa omnino sunt, quae docent, artem chirurgicam nouissimis temporibus in summo illo atque acerrimo studio, quo rerum naturalium et medicarum scientia fuit exulta, non solum neglectam non fuisse, sed potius laetissima et fere miranda cepisse incrementa, ita haud scio an in primis artis chirurgicae laudibus, recentiori demum tempore acquisitis, aneurysmatum curatio merito ponenda sit. Non equidem nescio atque infitior, esse haud paucas chirurgorum aetatis nostrae artes, quarum seculi praeteriti eodem anno, qui nostri hodie vertitur, nisi prorsus nulla, attamen adeo fuerit exigua atque manca facultas, ut fere nouae plane et a nostris demum hominibus inuentae esse videri possint. Quis enim IENNERUM variolarum vaccinarum insitionem ad extinguendas humanas, ANGLICOS imprimis medicos, postea vero nostros quoque largiorem hydrargyri in inflammationibus, parciorem autem eiusdem medicamenti in morbis venereis usum MATHIAM commendasse nescit? Quis, quaeso, chirurgorum BILQUERI, GVTHRIEL, POTTII, RICHTERI, aliorumque de aptiore vulnerum, praesertim tellis igniferis effectorum medela, LARREYI de moxae, RVSTII de ferri candentis applicatione merita neget? Ecquis est, qui, quantum gratiarum CLOQVETO, HESSELBACHIO, LAWRENCIO, RICHTERO, SCARPAE, SEILERO e. s. p. in rite cognoscendis et feliciter curandis herniis debeamus, obliuiscatur? Numquis IOERGIVM aliosque in deformitatibus emendandis, CARPVEVM et GRAEFIVM in curtis restituendis, COOPERVM in luxatis et fractis reponendis, DESAVLTIVM in la-

ryngotomia, ECKOLDTVM in oesophagotomia instituenda laetissimos euentus obseruasse ignoret? Quis denique est, cui HOMIANA varicum deligatio, BEERIANA cataractae extractio, eiusdemque non minus ac LANGENBECKII, REISINGERI, SCHMIDTH et aliorum pupillae artificialis formatio summa laude diligentique studio dignissima non videatur? Longe plura chirurgis nostri aevi valde honorifica addi possent, sed credo neminem fore, qui vel hisce tantum modo commemoratis non feratur mecum ad ingenii iudiciiue humani admirationem, gratissimus agnoscat, dignisque honoribus industriam ac merita illorum virorum prosequatur, quorum ope scientia tam egregios fecit progressus.

De *aneurysmatis* felici curatione vel prorsus desperarunt maiores nostri, vel eo modo praeceperunt, vt plane alia sit nostris temporibus rei chirurgicae, in hoc malo curando versantis, facies. Desperatam autem vere fuisse aneurysmatum curationem, atque pro vana habitam a magni nominis viris, testimonio esse potest aneurysma *iliacum* atque *axillare*, quod vtrumque vsque ad DESAVLTH et GOOCHII aetatem pro morbo sanationem adeo respuente habebatur, vt homines hocce malo vexati vel omnino a medicis relinquerentur, vel non nisi methodo a VALSALVA quondam commendata, i. e. venae sectionibus saepe repetitis, ieiunio, summaque quiete tractarentur. DESAVLTIVS ^{a)} autem ligationem infra saccum aneurysmatis commendat, quam curandi rationem minime laudandam esse, alio loco exponam. GOOCHIVS ^{b)} contra ea de vana seu inani horum aneurysmatum curatione tam certo persuasus fuit, vt, si arteria cruralis vnquam cum felici euentu ligata fuerit, hanc arteriam superficialelem duplicem adfuisse putaret, quod ter ab ipso obseruatum fuisse contendit: quam quidem structurae varietatem saepius existere propterea probabile habet, quoniam alias fieri non possit, vt arteria principe constricta, illius rami profundi superstites satis

a) DESAVLT *chir. Nachlass*, Vol. IV. p. 298.

b) *Philosoph. Transact.* Vol. 65. p. 37. MYRRAYI animaduers. in aneurysmata femoris, in LAUTHII collect. scriptor. latin. de aneurysm. p. 533.

sanguinis ad inferiorem artum aduchere possint. AYRERUS^{a)} aneurysma in regione iliaca spem sanationis vel omnino, vel certe ex parte nobis eripere contendit, et de huius sententiae veritate ita persuasus est, ut tribus opusculi laudati locis eadem fere verba repetat. Comparemus cum hisce viris, qui suis temporibus inter principes referebantur, nostri acui chirurgos, qui adeo non de aneurysmatibus feliciter operationis auxilio profligandis desperant, ut potius talium curationum cum felicissimo successu susceptarum multa quotidie proferant exempla. Laudabo ABERNETHYVM, CAR. BELLIVM, BRODIEVM, COOPERVM, DUPUYTRENIVM, FREERVVM, GOODLADIVM, LAWRENCIVM, TOMLINSONIVM, multosque alios, qui *iliacam externam*; ATKINSONIVM, ac STEVENSIVM, qui *iliacam internam* ligare ausi sunt. Multo maiore admiratione digni esse videntur illorum conatus, qui, uti BLIZARDVS, CHAMBERLAINVS, COOPERVS, DELPECHIVS, DESAVLTIVS, KEATIVS, RAMSDENIVS arteriam *axillarem* et *subclavianam*; aut quemadmodum ABERNETHYVS, CLINIVS, COLLIERYS, COOPERVS, LAWRENCIVS, POSTIVS, TRAVERSIVS *carotidem*; denique uti GRAEFIVS, MOTTIVSQUE *innominatam* ligare tentarunt, et quod caput rei est, non sine fructu tentarunt^{b)}.

Horum autem virorum praecepta et instituta cum ex ipsorum libris et narrationibus satis, ut mihi videbatur, cognovissem, ita ut de eorum et veritate et utilitate iusta dubitandi nulla plane causa mihi superesset, quis miretur, avidius me optasse, ut et mihi aliqua offerretur opportunitas, meo ipsius usu discendi, num temere illorum consiliis calculum adiecerim, nec ne. Neque euentus meis votis defuit. Duo enim intra breue temporis spatium aneurysmata mihi sese obtulerunt, quorum alterum ansam mihi praebebat, *iliacam externam*; alterum vero *cruralem* in superiori femoris parte ligandi. In hoc igitur utroque aneurysmate quid expertus fuerim,

a) *Ueber die Pulsadergeschwülste und ihre chirurg. Behandl.* Gött. 1800. pag. 350.

b) Me non fugit, ASTLEYVM COOPERVM, Virum laude mea longe maiorem, aortae abdominali adeo vinculum iniecissee, cuius vero exitus cum expectationi minime responderit, hanc operationem confirmatione hucusque adhuc egere censeo.

nullo adhibito orationis ornatu, qui a me expectari haud potest, religiosa tamen fide iam exponere animus est. Cui quidem narrationi singulas deinceps subnectam observationes cum aliorum tum meas ex chirurgiae exercitio profectas, non quod putem, me noui aliquid prolaturum esse, sed eo potius consilio, vt plurima variorum artis magistrorum de aneurysmatum curatione decreta, in multis libris dispersa, hic collecta paulo accuratius dispiciam, quidque iis veri falsiue insit, perscrutari audeam.

HISTORIA MORBI ET OPERATIONIS I.

Rustica quaedam 34 annos nata, laxa quidem fibrarum compage, sed illa tamen nondum morbosa, modice nutrita, ingenio haud alacri, trium liberorum mater, ad me accessit, de tuberculo, in inguine dextro ipsi arteriae crurali insidente, pluribus abhinc mensibus sine villo, quod sciebat, rerum externarum impulsu orto, circumscripto, ad nucis iuglandis magnitudinem accedente, integumentorum communium colore nondum mutato, valde tenso, fortiter pulsante, leni digitorum compressioni tympani instar renitente, fortiore vero adhibita, strepitum sibilantem edente, parum tantummodo dolente, pedisque motum non impediante, sententiam meam audire cupida. Omnibus accurate perpensis, de indole mali aneurysmatica nequaquam dubitans, aegrotae mali periculum exposui, operationemque, cuius discrimen minime silentio praeterii, etiam atque etiam commendaui. Quam cum respueret, a consuetis laboribus abstinendam, summam tam animi quam corporis tranquillitatem, crebriorem venae sectionem, atque diaetam parcissimam, ad repentinum morbi adeoque periculi incrementum sistendum maxime necessaria esse, quam luculentissime poteram, aegrotae demonstraui^{a)}. Quorum quidem consiliorum, si victus tenuitatem, non tam voluntatis imperio, quam paupertatis necessitate iussam exceperis, nullo vsam esse aegrotam, euentus docuit. Triennio enim vix praeterlapso, mensis Februarii die decimo

a) vid. Not. I.

quinto anni MDCCCXXI ad miseram illam nuncio festinanter misso aduocor, quam cum viderem, symptomata tristissima, diagnosin meam confirmantia, obseruata sunt: Tumor multo, quam antea, maior, maxime turgens, grauiter dolens, fortissime pulsans, oculis digitisque patens, inuolucris communibus violacei coloris tectis, in medio tumore foramen angustum, ex quo sanguis rubicundus quemadmodum ex silano prosiliebat. Totius corporis superficies algida, flaccida, sudore frigido madida, vires exhaustae, pedes oedemate tumidi, ac vix mouendi, respiratio anhelosa, pulsus minimus, pectus pondere quodam quasi compressum, facies collapsa, animus tristissimus.

Aegrota mihi narrauit, se quatuor abhinc diebus grauissimos quosdam suscepisse labores, ac grandia onera non sine summa virium intentione sustulisse, quo facto tumorem statim esse auctum redditumque dolentem. Cum periculum in mora hic esse intellexissem, indicationem vitalem respiciendam et operationem arteriae ligandae quam primum suscipiendam esse putati; quam si distulissem, maxime mihi fuisset verendum, ne forte tunicis arteriae dilatatae proxima nocte ruptis subita vitae induceretur iactura. Quae cum ita essent, ad opus perficiendum, suadente et adiuuante KOHLRVSCHIO, chirurgus nostrae vrbis dexterrimo, amico aestumatissimo, me accinxi, et hancce maxime memorandam operationem sub prognosi pessima, praesertim cum aegrota puerum fere biennem lactaret, hora quinta pomeridiana suscepi. Amicissimus CARVS, illo tempore medicinae ac chirurgiae cultor, nunc medicus *Colditzensis* celeberrimus, arteriam iliacam supra ligamentum Poupartii comprimere studuit. WOOSTIVS, medicus iunior, eximiis et virtutis et doctrinae laudibus praestans, supellectilem chirurgicam praebuit. Cum vero, sacci rupturam ac haemorrhagiae funestae exinde oriundae periculum metuens, cutem supremam ne digitis extendere quidem, nedum in plicam eleuare conarer, incisionem primam suspensa manu ac leui cultri ductu octo pollicibus longam institui, ita, vt centrum huius vulneris in apice tumoris esset. Quod vulnus cum nec oculorum adspectui, nec digitorum immis-

sioni satis patere videretur, aeque longam, sed transuersam feci incisionem atque sic vulneri formam cruciformem conciliaui. Arteriae quaedam cutaneae minores dissectae et confestim digito chirurgi adsistentis compressae sanguinem non amplius ediderunt. Etsi speraueram antea, fore, vt arteriae trunco facile inuento intra ligamentum POVPARTH et saccum aneurysmaticum vinculum iniicere possim, spes tamen me fefellit. Integumentis enim communibus discissis, eorumque laciniis ad latera reclinatis, cognoui tumorem aneurysmaticum cum partibus propinquis mirifice cohaerentem, vltra illud ligamentum extendi, arteriaeque parietes vna cum tela cellulosa vicina iusto densiori ad ligamentum vsque osseam induisse naturam ^{a)}. Quapropter ligamento POVPARTH dissecto et sacco aneurysmatico aperto ^{b)}, digitum indicem sinistrum in vasis tubum immisi, atque arteriae hoc modo eleuatae, et a partibus vicinis separatae ^{c)} filum crassum, firmissimum, acus curuae maxime simplicis FIG. VIII. delineatae ope, non sine summa molestia subduxi ^{d)}, et nodum ligavi ^{e)}. Qui operosissimus labor cum paulo longius temporis spatium consumeret, sanguinis iactura ob insignem vasorum discissorum multitudinem haud mediocris esse debebat. Nodo duplici, coque vulgari firmiter contracto, pars arteriae dilatata collapsa quidem est, sed tamen in poplitis fundo leuis adhuc pulsatio sentiri potuit, vnde sanguini ad partes inferiores aditum non omnino praeclusum esse, sed ramorum lateralium, supra locum affectum emissorum, ministerio perfici, laetissimus percepi ^{f)}. Finita operatione in vulneris, aqua tepida eloti, cavitatem, ne forsitan intestinorum prolapsui ansa praeberetur, glomum ex linteo carpto confectum, praetereaque eiusdem lintei carpti copiam sufficientem immisi, panniculos cutaneos emplastris glutinantibus coniunxi, totumque vulnus fasciis firmiter constrinxi. Aegrota de horrore, susurro aurium, caligine, vertigine, sensuumque obnubilatione conquesta, haec symptomata haud dubie frigori admisso, et largae sanguinis profusioni, minime

a) vid. Not. II. b) vid. Not. III. c) vid. Not. IV. d) vid. Not. V. e) vid. Not. VI. f) vid. Not. VII.

vitandae, debebat, et sperabam, fore, vt infuso florum chamomillae mox tollantur. Sed res aliter euenit, nam aegrota, in lectum quam citissime delata, algore intenso correpta est, ac sui conscia esse penitus desiit: accessit praeterea lipothymia maxime profunda per tertiam horae partem protracta, totum corpus gelidum, sudore viscido tectum, genae pallidae et magis, quam antea, collapsae, palpebrae fere clausae, et quae per rimam palpebrarum conspici potuit, particula bulbi, distorta apparuit et squalida, nares amplae, labia liuida, respiratio vix percipienda, interdum grauius suspiria, de imo pectore emissa, cum nonnullis vocibus indistinctis mixta audita sunt, misera membris quasi resolutis supina iacuit, pes dexter calore natiuo, pulsuque vitali privatus, et quasi mortuus torpuit, verbo, omnia ita comparata fuerunt, vt mortem instare metuerem, et omnem salutem ab analepticorum usu et cauta caloris artificialis, v. c. inuolucrorum laneorum nec non lagenarum arena calefacta repletarum applicatione expectandam esse crederem.

Die 16. Febr. Nox inquieta, vulnus dolens magnam lymphae copiam excernit, arteriarum pulsus in artu laeso cum calore aucto et quodam formicationis sensu redire incipiunt: aegrota, conscientiae ac memoriae usu recuperato, ingenti siti conficitur, cibumque fastidit, de debilitate tanta, vt omni corporis mouendi facultate careat, ac de pulsatione maxime ingrata supra locum arteriae constrictum percipienda valde conqueritur. Lingua sicca, abdomen tensus, arteria radialis vix ac ne vix quidem percipienda, ceteroquin, quod maxime mirandum, lactis secretio nequaquam impedita, et puer optime sese habet.

D. 17. Chirurgus vici proximi, cui aegrotae cura erat commissa, per epistolam me certiore reddidit de somno placido, quo aegrota per horam circiter dimidiam vsa sit, atque de dolore ac siti mitioribus factis: praeterea addidit, pulsationes in parte affecta valde esse molestas, cutem mollem sudore calido vniuersali madere, linguam inueniri humidam, et lactationem bene procedere.

D. 18. Nox satis tranquilla, sitis minus vrget, lingua hu-

mida, tenui mucī lamina tecta, transpiratio calida, in totius corporis superficie conspicua, lactis secretio continuatur; cibi non appetuntur, alius haud respondet, urinae pauca copia emittitur; pes dexter calet ac minime torpet, arteria poplitea leniter micat, dolor in vulnere ipso minus vexat; suppurationem initium cepisse, ex odore aegrotam circumfluente et febriculæ initiis concludimus. Fasciis solutis extremum solummodo lintei carpti stratum demi potest, interiora remanent intacta, fasciæ consueto modo iterum applicantur, summa quies commendatur, pro medicamentis analepticiis emulsio amygdalina ordinatur.

D. 19 — 24. Suppurationis optima conditio; femina, quæ demisso est animo, parum sperat.

D. 25. Vulneris ampli ac profundi adpectus bonus, papillae carneae globos dimidios referunt, ac laete rubent; glomus sponte exit, parietes arteriae ossei a digito inuestigante percipiuntur, ciborum appetitus melior, excretiones parcae, lactis secretio sibi constat. Sufficiens lintei carpti in conum compacti copia ingesta est vulneris cauo; medicamentorum eadem ratio.

D. 1. Martii. A chirurgo accepi, aegrotam bono quidem somno frui, primo tamen diluculo tussi turbari eo molestiori, quo vehementius dolores pulsantes in vase vincto, antea commemorati, hoc symptomate excitarentur, ceteroquin nihil esse permutatum; proposuimus bechicum cum pauxillo extracti hyoscyami.

D. 2. Funiculus arteriam constringens sine vlla haemorrhagia expellitur: (die decimo sexto post operationem), omnia reliqua sibi constant.

D. 8. Tussis aequae ac febris ferocitas remisit; nox quieta, aegrota bono gaudet animo, fouetque spem restitutionis: lactis secretio a regula haud recedit, omnes functiones bene procedunt, vulneris habitus laudabilis, orae fiunt carnosae, telae cellulosae corruptae copia cum squama ossea excernitur, pes dexter sine magna virium contentione mouetur.

D. 15. Conditio feminae egregia, nulla functio turbata, tussis febrisque abest, pulsationes vix amplius vexant; Chirurgus

particularum ossearum, ex vulnere expulsarum, collectionem mihi monstrat, plagae cauum magis magisque minuitur, restant quidem ossiculorum fragmenta, sed papillis obducuntur carneis, ita vt, quod antea fieri non potuit, digiti apex sine laesionis formidine posset induci. Aegrota de lecto surgere conatur.

D. 21. Etiam si multum osseae materiae in vulneris cauo adhuc supersit, praetereaque spongia arctius fortiusque compressa in illud quotidie inducatur, nihilominus tamen vulneris ambitus de die in diem magis contrahitur. Quid multa? Initio Maii cicatrice bona atque firma vulnus clausum, femina sensim sensimque restituta hucusque optime valet, ac laborum rusticorum molestiam sine incommodo perfert.

Quamquam ab initio maxime metueram, ne forsan ob dissectum ligamentum Poupartii insignis ad herniam cruralem inclinatio per totam vitam esset remansura, euentus tamen huncce timorem vanum fuisse, ostendit, ac certissime credo, cicatricis firmitate aggerem quasi illi tristissimo malo oppositum esse. Nec sine summa laetitia percepi, hanc feminam circa finem Martii huius anni puellam sanam et bene nutritam absque magna difficultate peperisse.

Alterum, cuius historiae cum lectoribus aestumatissimis communicandae spem feci, aneurysmatis *cruralis* exemplum hoc fuit:

HISTORIA MORBI ET OPERATIONIS II.

Pistor quidam cupediarius, oppidi vicini ciuis, quadragesimum quintum annum agens, corpori suo haud inimicus, vitaeque humanae aerumnas victus delectamento animique hilaritate vincere studens, morbis infantiae feliciter superatis, nullius grauioris aegritudinis sibi conscius, superiorem partem femoris, vbi arteria profunda a crurali secedit, contra temonis apicem fortuito casu grauissime allisit. Quae calamitas cum ipsi nullam ab initio, praeter leuem dolorem ac fugacem pedis torporem, pararet sollicitudinem, aegrotus iusto minus ad eam animum aduertit. Praeterlapsis autem septimanis aliquot, tumor in illo loco, a paruis initiis

quotidie in maius volumen extensus, hunc virum coëgit, vt a chirurgis medicisque auxilium peteret, qui ipsi pro varia, quam de mali natura fouebant, sententia, varia quoque suadebant medicamenta. Vere nouo anni MDCCCXXII. rogauit, vt meam de ipsius statu opinionem ipsi traderem. Tumor, pruni domestici magnitudine, in medio femore sinistro locum habebat, fortiter ac synchronistice cum corde pulsabat, arteria versus os pubis compressa detumebat, laxiorque reddebatur, vir pedem cum molestia tantummodo mouere valebat, et de sempiterno fornicationis sensu, frigore et rigore, in hoc artu percipiendo conquerebatur, cuius pars infima oedemate laborabat. Cum ex hac signorum congerie vitii tam conditionem, quam grauitatem cognouissem, ac maius a manu, quam a medicamentis, praesidium hic expectandum esse declarassem, vir, hoc meo consilio probato, decimo Aprilis anni eiusdem in nosocomium nostrum, a STO. Iacobo cognominatum, sese contulit, et postridie, ampla spectatorum corona adstante, operationem sub bona prognosi passus est, cum praeter aneurysma nulla sanitatis perturbatae signa deprehenderentur.

Aegroto, vti decet, posito, nec non adiutoribus suo quouis loco dispositis, arteria digitorum ope versus ossis pubis ramum adacta, et paulo inferius torcularis ministerio compressa, integumenta communia per longitudinem octo pollicum secundum musculi sartorii decursum discidi, incisionis initio ab ea parte femoris, vbi arteria profunda a crurali abit, facto, et infra saccum aneurysmaticum terminato. Dein fascia lata dissecta, musculo sartorio exteriora versus diducto, membroque repetitis vicibus nunc flexo, nunc extenso, arteriae, a vena, neruo, contextuque celluloso vicino, diligenter, non ferri vi, sed digitorum mollitie seiunctae, minime tamen a sede dimotae, acus Cooperianae FIG. VIII. exhibitae auxilio filum sericeum firmissimum subduxi, illudque nodo connexui. Quo facto saccus est collapsus, pulsatioque desiit. Notari mereatur, aegrotum, quamquam per totum operationis tempus monstrauerat constantiam, tamen sub ipsa arteriae constrictione vehemen-

tem extulisse clamorem, quem ipsi, nisi fallor, dolor vehemens, a compressione nerui cuiusdam ortus, extorsit.

Quae ad vulneris deligationem pertinent, cum omnia eodem modo, si glomum exceperis, vti in antecedentibus commemoratum est, instituta sint, ea nunc repetere nolo. Aegrotus in lectum delatus, et sua sorte contentus, pungentem dolorem in genu adesse affirmat, arteria poplitea leniter micat, calor artificialis iusto modo parti vulneratae adhibetur: torculare PETITI securitatis causa femori supremo laxè circumiicitur.

Vesp. Excepto genu dolore, omnia optime habent, sudor tepidus corpus tegit, pulsatio levis in loco adfecto, nec non fornicationis sensus in intimo artu animaduertitur. Opii pauxillum adhibetur.

D. 12. Nox satis tranquilla, pes calidus, dolor genu vexare pergit, sitis vehemens, pulsus febrilis, lingua sicca, muco flavo obducta, halitus foetidus, superficies oris viscida, adsunt vomendi conatus, abdomen tympani instar inflatum.

Vesp. Aegrotus inquietus in lecto sese huc illuc iactat, impetuosius potulenta adsumit, febris aucta, caput dolet, oculi rubent, fulgentque, facies ardet, vultus toruus atque distortus, sensus interdum obtunduntur, respiratio brevis et anxiosa, oppressio in pectore semper eadem, vrina flammea, abdomen tensum, aluus clausa, dolor ac pulsatio partis laesae perdurant, pes calore naturali utitur. Emulsio papav. propinatur.

D. 13. Nox inquieta, deliria suaui somnum turbant, ceteroquin aegroti conditio ab hesternâ non recedit.

Vesp. Hora tertia pomeridiana accessit frigus, quod sequebatur calor insignis, posteaque sudor largus, respiratio liberior, capitis dolor et pectoris oppressio mitior, ciborum appetitus nullus, aluus obstructa, lotium non missum est: pulsatio eadem, fornicatio praeprimis pedis digitos corripuit, pes laesus altero calidior.

D. 14. Fasciis solutis suprema lintei carpti strata separantur, inferiora firmiter cohaerentia intacta relinquuntur, suppurationis initia observantur, lymphæ largâ copia excernitur, dolorem

artus pungentem in obtusum transiisse, aegrotus fatetur. Eccopro-
ticum medicamentum, cuius vsum symptomata gastrica desiderant,
exhibetur.

D. 15. Aegrotus, quem per maximam noctis partem placi-
dus somnus recreauit, aluum deposuit; doloris febrisque vis immi-
nuta est, sudor matutinus corpus occupat vniuersum; vulneris ad-
spectus satis bonus.

D. 17. Licet omnia symptomata meliorem aegroti conditio-
nem indicant, paruus tamen sinus iuxta arteriam deorsum tendens
animaduertitur, ac linteo carpto prouide repletur, suppuratio egre-
gia, papillae carnae laete propullulant.

D. 22. Aegrotus de die in diem melius habet, appetitus ac
somnus naturalis, vitae robur cum animi hilaritate consueta redit,
ita vt in lecto morari ac torcular tolerare diutius nolit; sinus ante
commemoratus carne firma impletur.

D. 29. Vinculum arteriam constringens eiicitur, (die vnde-
vigesimo) vulnusque quotidie arctius contrahitur, nullo amplius
sinus vestigio conspicuo. Aegrotus quouis die per horam dimidiam
e lecto surgere conatur, sed propter totius corporis debilitatem post
breue tempus illuc redire coactus est. Torcular aufertur.

Quae cum ita essent, liberalius alimentum praebendum curauī,
corporisque motum lenem concessi. Vires crescunt, vulneris am-
bitus minuitur, omnia symptomata antea commemorata absunt, ac
sanitas huius viri sic restituta est, vt exeunte Maio^o nosocomio, et
septimo Iulii die huic vrbi valedicere posset, superstite parua tan-
tummodo fistula, quam praeterlapso paucarum septimanarum tem-
pore clausam fuisse, per literas certior factus sum. Hucusque vir
optime valet, suis negotiis rite fungitur, pedibusque perinde atque
sanissimus vtitur; saccus aneurysmaticus plane euanuit.

N O T A E.

I. Erunt forsā, qui me reprehendant, quod non ex DESAVL-
TII auctoritate arteriam infra saccum aneurysmaticum compresse-
rim. Quos vero moneo, vt secum reputent, partim hocce consi-

lium, cum eiusmodi compressio rupturam sacci adeoque subitam mortem facillime adducere possit, periculi plenum esse, partim continuos, quales apud agricolas sunt, labores talem compressionem, cuius vis atque efficacia tota a laborum remissione pendet, haud concessisse. Alio modo res comparata est, ubi arteriae dilatatio paulo inferius locum habet, ita ut vel torculari, vel inuolutioni THEDENIANAE spatium pateat, quibus in casibus equidem repetitis vicibus torcular cum WEINHOLDIANVM, tum ASSALINIANVM, quibus machinis vix quidquam simplicius cogitari potest, non sine fructu adhibui. Alio tempore aneurysmati popliteo orienti linteum compressum secundum arteriae cruralis cursum impositum et fascia longa a digitis pedis vsque ad regionem iliacam firmatum optimo cum successu opposui.

II. Saepe miratus sum, hanc morbosam arteriae aneurysmaticae conditionem, non raro currentem, ab auctoribus obiter tantum commemorari, nec, quid in eius ligatione agendum sit, praecipi. Etenim plus vna vice in cadaueribus, licet nullo modo senio laborarent, arteriam cruralem, nec non brachialem ossificatam vidi. In hac autem rerum conditione omnem salutem ab arteria paulo altius inuestiganda et liganda expectandam esse credo, quippe cum arteria in tubum osseum mutata nullo vinculo possit constringi. Quae quidem degeneratio in aorta praeprimis observatur, et singulari quadam naturae prouidentia facta esse mihi videtur, cum tunicarum crassitie et firmitate arteriae dilatatae disruptio auertatur, et valde laetor, cum Celeberrimum CVRT. SPRENGELIVM eandem fouere sententiam, qui „*in ipso malo mali lenimen quaerendum esse*“ affirmat ^{a)}, tum BURNSIVM ^{b)}, CORVISARTVM ^{c)}, KREYSIGIVM ^{d)}, aliosque, de cordis et arteriarum morbis agentes, hac de re inter sese conuenire.

a) BVBENDEY, diss. de aortae aneurysmate, Hal. 1801.

b) Von einigen der häufigsten und wichtigsten Herzkrankh. Lemgo 1813.

c) Ueber die Kr. u. organ. Verletz. des Herzens, Berlin, 1814.

d) Die Krankh. des Herzens, Berlin 1814.

III. Ex quo chirurgi in aneurysmatis cura methodum HUNTERIANAM secuti sunt, sacci morborum dissectione prorsus neglecta, quae illo continentur, ob metum, ne nimis ampla et difficulter sananda oriretur cauitas, absorbenda reliquerunt; timorem autem illum vanum esse, experientia multorum probauit. Quod ad methodum ab HUNTERO commendatam attinet, etsi minime illa reprehendenda sit in aneurysmate popliteo, cubitali, aliisque, ubi ligatio arteriae procul a loco dilatato institui potest: res tamen aliter se habet, cum spatii angustia aut immensa sacci moles, aut denique sanguinis coagulati copia nos cogit, prope saccum, aut supra saccum ipsum incidere. Tunc iuuat, incisionem in ipsam aneurysmatis cauitatem protrahere, digitum introducere, et vasis tubum eleuare, quo fit, ut sanguini exitus praecludatur, ideoque acui introitus securior concedatur liberiorque. Ut defensores huius opinionis priores taceam, v. c. DESAVLTIVM, DIONYSIVM, LA FAYEVM atque PETITVM, solummodo liceat mihi nominare ANTON. SCARPAM, qui in aureo libro ^{a)} ait: „*Aneurysmatis duos pollices ab arcu crurali remoti curationem non fieri posse, nisi tumor ipse aneurysmaticus aperiatur.*“ Conferatur quoque LISTONVS ^{b)}, qui in simili casu eandem methodum secutus est. Nominandus denique mihi videtur amicissimus KOHLRYSCH, qui in aneurysmate femorali horrendae magnitudinis saccum aperuit, sanguinem collectum emisit, et hac ancipiti operatione aegrotum certissimae morti eripuit. Si quis obiiciat, quare ab initio COOPERVM in liganda iliaca externa haud secutus fuerim, qui ab incisione semilunari initio facto, muscoli obliqui aponeurososin separat, obliquum internum et transversalem eleuat, et sublato peritoneo, remotoque funiculo spermatico arteriam, a partibus proximis liberatam vinculo circumdat, ei respondeo, arteriae statum morbosum ante operationem et mihi plane fuisse ignotum, et a nullo alio diuinari potuisse.

IV. Mirandum sane est, chirurgos priorum temporum, v. c.

^{a)} *Ueber die Pulsadergeschwülste, a. d. Ital. durch HARLES, Zürich 1808. p. 209.*

^{b)} *Edinb. medical and surgical Journal, Jan. 1820. p. 66.*

BERTRANDIVM ^{a)}, BRUNNIVM ^{b)}, FOVBERTVM ^{c)}, HAZONEM ^{d)}, MOLINELLIVM ^{e)}, ERN. PLATNERVM ^{f)}, VALSALVAM ^{g)} denique, quamquam neruum non separandum, sed filo vna cum vase complectendum esse, cum ratione, tum experientia probare student, nihilominus tamen fateri, dolorem in ipso arteriae constringendae momento acerbiorē esse, quam si arteria sola ligetur. Multo prudentius agunt coaeui nostri, v. c. ROVXIVS, aliique, qui quemcunque neruum, quantum fieri potest, ab arteria liganda diligentissime segregandum esse praescribunt, et ad confirmandam hancce sententiam ad sarcoces operationem prouocant, vbi deligatio nerui spermatici crudelissima symptomata, quin mortem ipsam parauit. Equidem summam adhibeo diligentiam in separandis neruis, et cum ex doloris significationibus neruulum quendam vinculo contineri colligo, statim illud firmissime contraho, vt totus neruus vita priuetur, nec amplius dolori ansa praebeatur. Neque vero minus studiose venam quoque amplam in aneurysmatis operatione a vase dilatato seiungere soleo, quod si negligitur, facile laedi potest vena, id quod BLIZARDO iuniori, cum arteriam cruralem ligare vellet, accidisse ipse animaduerti: vena acu vulnerata haemorrhagiam formidolosam, nec nisi per citissimam vasis ligationem sedandam efficiebat.

V. Priusquam nodum necto, ex mente DESCHAMPSII fines fili in partes oppositas traho, digitumque ansae impono, vt cognoscam, num hoc modo arteria constringatur, nec ne? Quod leuissimum adminiculum in operatione, de qua agimus, magni momenti est, impeditque, quo minus fibras solummodo musculares pro vase aegroto vinculo concludamus.

VI. Vti omnino multa in arte chirurgica incerta sunt, nec satis illustrata, ita inprimis quaestio de liganda arteria aneurysmatica

a) Opérat. de chir. b) Diss. sistens experimenta circa ligaturas neruorum in viuīs animalibus instituta, Goett. 753. p. 14. c) Mémoir. de l'Acad. de chir. Tom. II.

d) An tutior facillorque aneurysmatis curatio? §. 4. e) Diss. de aneurysmate e laesa brachii in mittendo sanguine arteria. f) Suppl. in patris instit. chir. p. 95. g) MOLINELLI, diss. cit.

perdifficilis multisque dubitationibus exposita semper fuit, vt, quae a nonnullis probata fuerint, eadem ab aliis reiicerentur. Quae summa opinionum discrepantia *primum* ad diuersam acuum sic dictarum aneurysmaticarum indolem, *deinde* ad fili fabricam ac formam, *tum* ad eius applicationem, *denique* ad eiusdem remotionem pertinet.

A. Ex ANTILLI, qui primus aneurysmatis deligationem commendauit, aeuo ad tempora nouissima vsque chirurgiae magistri in acuum commemoratarum partim fabrica, partim forma siue corrigenda, siue certe mutanda gloriolam quaesiuerunt, ita vt si quis hodie supellectilem horum instrumentorum integram sibi parare velit, non exiguas expensas facere sit coactus. Quae talium instrumentorum collectio et delineatio, ex mea quidem sententia haud superuacanea, artisque nostrae cultoribus, ad quos imprimis huncce libellum pertinere volo, fortasse haud ingrata, cum a me vbique frustra quaesita esset, in describendis iis atque delineandis negotium non prorsus inutile suscepturus esse mihi videor. Si quis alius ante me hoc labore functus est, quem ego quidem non cognouerim, lectores rogatos cupio, vt meam qualemcunque operam aequi bonique faciant. Quamquam autem nec industriae nec sumtui adeo peperci, quo omnes has acus, a me commemoratas, mihi compararem, minime tamen, quod optaueram, efficere potui. Sic, id quod temporum iniquitatitribuendum est, RAMSDENIANAE acus ne figuram quidem videre, nedum acum ipsam mihi comparare potui: idem de LISTONII et chirurgorum aliquot AMERICANORVM valet instrumentis. Antiquorum chirurgorum instrumenta ac machinae, hoc, nisi fallor, commune habuerunt, vt multo maiora nostris essent, quod v. c. in bracheriis, torcularibus, et maxime in forficibus DAVIELIANIS videre licet, quae vel duplo, vel triplo hodie vsitatis maiores fuerunt. Quapropter haud mirandum est, priscas acus aneurysmaticas quoque a nostris magnitudine recessisse. Quas exhibeo figuras, cum eae omnes a naturali acuum ambitu non aberrent, haud opus est, vt hunc in earum descriptione commemorem. Haec instrumenta, paucis tantummodo exceptis, in eo omnia con-

veniunt, vt apice obtuso, margine non secante, (ne forte vel arteria ipsa, vel vlla pars proxima laedatur,) curuatura vel ampla vel angusta, et foramine non ad finem, sed in mucronis vicinia posito sint instructa, in quod, quando instrumento vti volumus, filum inducitur, deinde acu sub arteriam traiecta, et filo soluto, instrumentum retrahitur.

Vt autem ab antiquissimis ordiamur, prima veniat in medium omnium maxima (No. I.) delineata, quae incerti auctoris apud maiores valde fuit vsitata ac celebrata, arcum enormis ambitus falciformem format, et in facie conuexa sulco, quemadmodum specillum conductorium, in lithotomia adhiberi solitum, filo recipiendo dicato instructa est. Huic nuper quaedam in *Gallia* inuenta et a nostro WALTHERO VIRO EXP. beneuole mihi concessa adeo similis est, vt eius delineatio minus videatur necessaria.

Multo subtilius est CASAE MAIORIS DE GVISSARD instrumentum. (No. II.) Arcum paruum et angustum habet.

Quibus instrumentis simplicibus non contentus inuenit RAVATONVS duas acus, inter sese cochleae ope firmissime coniunctas, (No. III.) et arteriae aneurysmaticae aequae ac dissectae deligationi destinatas, quas in libro peculiari fusius describit ^{a)}.

GOVLARDIANA ^{b)} acus (No. IV.) ingens, manubrio ligneo sexangulo instructa, falciformis, canaliculum in latere conuexo, et foramen oblongum in apicis vicinia habet. Ab initio pro liganda arteria intercostali laesa inuenta, deinde pro vincendis arteriis aneurysmaticis commendata.

a) *De playes d'armes à feu*; p. 415. Pour se servir de cette double aiguille, on commence par proportionner l'écartement de ses lames au volume du vaisseau. On introduit en suite l'un des bouts de la ligature dans le trou de l'une des aiguilles, et l'autre bout dans le trou de l'autre aiguille de dehors en dedans, on l'enfonce ensuite en écartant le nerf avec l'une de ses pointes, ou avec le doigt indicateur de la main gauche, ce qui est fort aisé, et on fait glisser la pointe entre deux; mais on embarrasse deux ou trois lignes de chairs, du côté opposé pour affermir la ligature: on fait ressortir la pointe suivant l'usage, ou tire les fils en rubans; on retire à soi l'instrument, et on acheve le reste à l'ordinaire.

b) DESCHAMPS sur la ligature des princip. art. bless.

DESCHAMPSIANA ^{a)} (No. V.) antecedenti quoad longitudinem simillima, sulco caret, arcum minorem, bacillum fortius, et foramen transuersum habet.

PETITIANA (No. VI.) argentea, latissima, in lateribus obtusa, in medio foraminulum prae se ferens, a chirurgis seculi praeteriti, imprimis IO. ZACH. PLATNERO ^{b)} valde laudata, a filio ERNESTO ^{c)}, nec non a RICHTERO propter nimiam latitudinem improbatur, qua efficiatur, vt arteria nimis a partibus vicinis separetur, atque sic metuendum, ne rami proximi arteriae abrumpantur.

HEISTERIANA ^{d)}, (No. VII.), circulum fere dimidium, apice obtuso, capitulo semigloboso, ac haud procul a fine foraminulum oblongum nobis offert. Cum huic acui capituli loco manubrium addideris, habebis GARENGEOTIANAM et RICHTERIANAM.

MOREAVI, MOLINELLII, BELLII acus a communi acu chirurgica vix ac ne vix quidem diuersae sunt, ita vt earum descriptio aequae ac delineatio mihi superuacanea sit visa.

COOPERIANA ^{e)}, (No. VIII.), ab Anglicis valde probata, ex bacillo ferreo in parte superiore curuato constat, quod in fine capitulum ouale perforatum ad filum recipiendum habet. Manubrium eburneum ab inuentore Ill. cuique alii praefertur.

LAWRENCIANA ^{f)}, (No. IX.), praecedenti quidem similis, ab ea tamen eatenus recedit, quatenus capitulo carens, in omnibus partibus subtilior, manubrioque ligneo praedita est.

DESAULTIANA (No. X.), ex duabus composita est partibus, quarum prima, vagina argentea, plana, parum tantummodo curuata, in fine duos annulos habet, ($\alpha\beta$) quibus prehendi possit. Pars altera, (Xa) elater, vagina longior est, et in apice foraminulo praedita. Cum hoc instrumento vtimur, elater retrahitur, filumque foramini inducitur, ita vt reliqua eius pars in vagina lateat: Tum apice vaginae sub arteriam traiecto, elater protruditur, filum

^{a)} l. l.
stit. chir.

^{b)} Institut. chirurg.
^{e)} Medic. chir. Trans. vj.

^{c)} Supplement. in patris instit. chir.
^{f)} ibid.

^{d)} In-

soluitur, quo facto totum instrumentum eadem via, qua ingressum est, redit.

WATTIANA ^{a)} acus (NO. XI.) ab antecedente sic discrepat, ut vagina non clausum, uti in DESAVLTIANA, sed apertum exhibeat canaliculum, et elater ex duabus partibus constet, quarum minor (XI. b.) filum portans ex vagina ope maioris (XI. a.) propulsa arteriae subditur, et volsellae ministerio una cum filo extrahitur, quo facto vagina statim e vulnere reducitur.

DUPVYTRENIANA acus (NO. XII.) quam WALTHERI Exp. benevolentiae debeo, recens inuenta ac difficulter describenda, bacillum refert crassum ex manubrio ligneo procedens, cuius extremo circulus dimidius ferreus ad latus flexus, et in mucrone foraminulo instructus adaptatus est. Hocce instrumentum eo consilio ita formatum est, ut, si in femore, ubi vasti sunt muscoli, applicatur, nec lumini, nec digitis chirurgi aditus praecludatur.

ZANGIANA ^{b)} acus (NO. XIII.), amplum circumscribit arcum, apice obtuso, pone quem duo foraminula quadrata, transversae directionis duobus filis recipiendis destinata in conspectum veniunt.

RVSTIANA ^{c)} acus (NO. XIII. b.) a priore in eo differt, quod primum in mucrone magis sit curvata, quo melius circulum formet in arteria capienda, (sunt verba ipsius inuentoris,) et minimam carnis vicinae particulam includat, deinde haud procul a foraminulis sulco sit praedita, in quo filum lateat.

SCARPIANA acus, quam ex descriptione tantummodo nosco, tantopere cum ZANGIANA et RVSTIANA conuenit, ut eae pro mutationibus SCARPIANAE habendae videantur.

HOMIANA ^{d)} acus (NO. XIV.) ab ea, quam BROMFIELDIVS ^{e)} sexaginta abhinc annis publici iuris fecerat, minime diuersa est, et quoad formam cum cochleari DAVIELIS maximam offert similitudinem. Prope apicem foraminulum conspicitur quadrangulum: Manubrium ex HOMI iussu ligneum, idque octangulum esse debet.

a) S. COOPER, Dict. of surgery. b) *Darstellung bl. heilk. Oper. I.* c) *Magaz.*
d) SAVIGNY catal. instr. e) PLATNER Suppl.

Quas DELPECHIVS^{a)}, chirurgus Franco-gallus, et CASPARI, medicus nostrae urbis EXPER. nobis obtulerunt acus pro aneurysmatis operatione, eae sunt tenerrimae: Illa, (No. XV.) argentea, lata, semicirculum format, in apice capitulum, foraminulum autem non in principio, sed in fine habet. Haec (No. XVI.) maior est, cylindrica, ex argento facta, amplum describit circulum dimidium, et in mucrone acuta est, ut pungere queat: in fine perforata.

Quam FIGURA XVII nobis exhibet, acus aliquam habet similitudinem cum hamulo BROMFIELDIANO, hoc tamen discrimine, ut flexio bacilli minor sit, et prope acutissimum apicem foraminulum inueniatur oblongum: commoditatis causa totum instrumentum uti culter plicatilis complicari potest. Inuentorem huius acus appellare non possum, quippe cum eam non nisi ex delineatione cognouerim.

Omnes omnino hucusque descriptae acus ita sunt comparatae, ut cuilibet arteriae submitti posse videantur: quas nunc Tibi Lector, propono, eae complicationes sunt, et pro diuerso, quem inuentores adsequi cupiebant, sine diuersam quoque acceperunt figuram atque fabricam.

Ac primum quidem describere mihi liceat WEISSIANAM (No. XVIII.) arteriis magnis et abditis, v. g. subclauiae, ligandis destinata, a FRORIEPIO ILL.^{b)} delineatam, et mecum beneuolentia RADII VIRI EXP. et ERVDITISSIMI communicatam. Hoc instrumentum difficillime describendum, tribus partibus constat: 1) acu, 2) portatore acus, 3) forcipe soluente.

Acus (1) brevis, plana et elastica, foramen amplum (α) et oblongum, apicemque crassum, cum foraminulo, in quod forceps intret, habet.

Portator acus (2) a c vsque ad d cauus est, ut acum recipiat, et a d vsque ad e fissus, quo acus in cauitate locum inueniat, et per fissuram filo possit instrui. In centro portatoris axis f est, circa quem segmentum manubrii forcipis vertitur.

a) Clinique chirurg.

b) Notiz. No. 93.

Forceps (3) ea longitudine esse debet, ut segmento *a* axin *f* recipiat, elater *h* vero partem acus obtusam β iuste capiat, et una cum filo ex portatoris cavitate extrahat.

Cum hocce instrumento uti volumus, apex acus (α) in portatoris canalem (*c*) inducendus est, deinde funiculus foraminulo acus per fissuram (*e*) immittatur, ut ligatura in externo portatoris latere in conspectum veniat. Tum acu sub arteriam ducta forceps deorsum inseratur, donec segmentum (α) axin (*f*) amplectatur, postea digitus partem manubrii (*i*) aliquantum premat, ut apex forcipis partem acus obtusam (β) capiat. Denique index et pollex partem manubrii reflexam (*l*) teneat, et deorsum trahat, ut elater una cum ligatura exeat, quo facto ligatura discindatur. Quando acum a forcipe liberare volumus, forceps paululum versus latus torquendus est.

Instrumentum ZANGIANVM (No. XIX.) ligationi arteriae pudendae communis cum aneurysmaticae tum vulneratae dicatum bacillo simplici (*a*) constat, in cuius fine acus (*b*) pollicem longa in apice foraminulo (*c*) instructa sub angulo acuto adfixa est. Quod instrumentum, quando adhibetur, ita vertendum est, ut acus ossis ischii tuberositatem respiciat, et arteriae dictae cum partibus proximis iunctim possit submitti, quo facto instrumentum reducitur, filum soluitur, iustoque modo vincitur.

Cum haec scripsissem, ecce! duarum acuum recentissime inventarum notitia mihi contigit. Alteram LANGENBECKIANAM (No. XX.) fauori D'ALNONCOVRTH, qui nunc cognitionis medicae, apud nos collectae magis augendae causa, Gottingae degit, debeo, cui cum DESAVLTIANA summa est similitudo, quia, si applicare velis, elater (*g*) in canali argenteo quadrangulo (*A*) latens ansae (*f*) ope propellitur, ut filum hamulo (*e*) possit immitti et elateris retracti auxilio arteriae submitti. Latus canalus externum purgationis causa apertum.

Alteram, PREVOSTII, (No. XXI.) in diarii Edinensis Volumine LXXIX nobiscum communicata (*a*) adeo subtilis est, ut sine tenaculo (*b*) adhiberi nequeat, formam hamuli piscatorii monstrat, apicem habet conicum, et imprimis in iis locis ex inuentoris mente in

vsum vocari debet, vbi ob spatii angustiam parua tantummodo incisio instituenda, tamen arteria valde recondita liganda est. Tota huius acus ope agendi ratio maxime est artificiosa, quare lectores eius accuratius cognoscendae cupidos ad librum ipsum relegare me oportet.

Plures forsitan erunt, qui quaerant, quare haec omnia attulerim, et in colligendis et describendis tot instrumentis, quae, si vera fateri volumus, ad vnum omnia redeunt, tantam operam consumserim. Hisce duo, quae respondeam, in promptu sunt: Primum, instrumentorum chirurgicorum haec est indoles, vt non raro minima eorum mutatio maximam habeat ad vsum vtilitatem. Cuius quidem rei probandae causa ad vnum ceratotomum BEERII prouoco, qui, quamquam vix a BARTHIANO differt, nihilominus tamen respectu vtilitatis habito, ipsi palmam praeripit. Deinde, (et hoc caput rei est,) cuilibet, qui historiam chirurgiae adamat, gratissimum esse debet, omnia haec, qualiacunque sint, in vnum collecta conspiciere et sic cognoscere placitorum diuersitatem. Quod ad me attinet, equidem cuilibet instrumento, quo simplicius illud est, eo maiorem vtilitatem tribuere soleo, quoniam aequae facile ab artifice construi, ac a chirurgo adhiberi potest. Ob hanc simplicitatem, nec non capituli rotunditatem, et foraminuli denique amplitudinem COOPERIANVM ceteris mihi praeferendum esse videtur.

B. Quemadmodum in inueniendis mutandisque his instrumentis magnam industriam posuere chirurgi, ita quoque in filorum ad arterias ligandas aptorum et materia et forma a se inuicem recesserunt. Ac *primum* quidem, quod ad *materiam* pertinet, plurimi lineae, alii, vti LAWRENCIVS, sericeae, alii chordas, vti COOPERVS, quas paulo serius LAWRENCIVS quoque adhibuit, commendarunt, alii denique, v. c. BECLARDVS^{a)}, cuiuscunque tandem materiei fila nulum omnino discrimen intercedere crediderunt. Cum in hac tanta opinionum discrepantia, quod verum esset, cognoscere cuperem,

^{a)} ANMON, *Parallele der französ. und deutschen Chirurgie*, Leipz 1823. pag. 349. BECLARDVS modo lanea, modo erioxylina, modo denique serica fila in vsum vocauit, eorumque ad vulnera rationem eandem fere esse obseruauit.

vsus sum opportunitate, quam tristissima nuperi belli tempora, praeprimis post proelium ad nostram urbem commissum mihi supeditarunt, ubi in nosocomiis militaribus vasorum ligandorum ansa mihi saepissime praebebatur. Nunc linea, nunc serica adhibui fila, ac repetitis vicibus linea a duodecimo die, vsque ad decimum quintum, rarius a decimo sexto ad vigesimum vsque, serica vero multo serius a vasis sine discedere et eiici observaui. Remanebant interdum fila haec per sex adeo septimanas et diutius adhuc in vulnere. Causa huius vel citioris vel senioris excretionis in eo, nisi fallor, posita videtur, quod linea post breue tempus, serica autem fere nunquam putredine corripiantur. Exinde in hanc ego adductus sum sententiam, in vulnere per primam intentionem sanando linea, ubi vero spes celerioris sanationis abest, v. c. in membris amputatis, vel post operationem aneurysmatis sericea fila usurpanda esse. Plurimum enim abest, vt Anglis, et Franco-Gallis fidem habeam, cum huiusmodi vulnera per primam intentionem sanata fuisse affirmant. Etenim cum vtriusque nationis nosocomia frequentarem, tam felici mihi esse non contigit, vt talium sanationum testis esse possem. ROUX ipse in libello suo^{a)} ingenue fatetur, verba, „*réunion immédiate primitive ou par première intention*“ haud ita stricte esse intelligenda. Alio loco^{b)} disertis verbis, „*post membri amputationem vulneris suppurationem vitari non posse*“ concedit. Chorda, quam in cadauere saepius in vsum vocaui, licet summa cum diligentia constringatur, tamen ob nimiam lubricitatem facillime iam ante operationem finitam delabatur, ac omnium minime commoda videtur, ideoque in viuo corpore non adhibenda esse videtur.

Communis chirurgorum fuit, et ab antiquis ducta opinio, *formam* fili latam, fasciolaeque similem omnium esse fini nostro aptissimam. Qua de causa in omnibus antiquioribus compendiis chirurgicis v. c. CALLISENII^{c)}, arteriam vinculo latiori, ex pluribus filis

a) Mémoire et observations sur la réunion immédiate de la plaie après l'amputation circulaire des membres dans leur continuité, et spécialement après l'amputation de la cuisse, Par. 1814. pag. 3. b) l. c. p. 7. c) Systema chir. hodiern. Edit. nouiss. I. 1028. 1029.

ceratis confecto, circumdandam esse atque constringendam legimus. Quod praeceptum quo sanctius a maioribus nostris est seruatum, eo magis nunc IONESII, chirurgi Angli sententiam mirati sumus, qua felicem ligationis euentum solummodo a fili rotunditate pendere credidit. Noua is experimenta in animalibus de industria, et in hominibus fortuito casu vulneratis instituit, eaque postea splendido anatomiae lumine adhibito illustrauit. Quae enim iam antea DESAVLTIVS et THOMSONIVS opinati erant, tunicam arteriae mediam intimamque a ligatura discindi, superficies vulneratas sibi inuicem apponi, sanguinisque motum in clausa arteriae parte cessare, idem IONESIVS magna experimentorum copia probauit, vnde hanc tunicarum separationem eo perfectiorem esse, eoque certius inflammationem adhaesiua, ad cicatricem formandam maxime necessariam, gigni, quo magis ad formam cylindricam accedat filum, et quo firmiter constringatur, sibi habet persuasum. Addit denique, se contra aliorum opinionem, qui ampla vasa crassis, tenuia vero tenuibus constringi velint filis, in ea versari sententia, vasculum, quo maioris sit amplitudinis, eo tenuiori circumdari debere vinculo, et versa vice. Summam suarum disquisitionum non temere excogitarum, sed ex fideli et indefesso naturae studio haustarum in commentatione peculiari tripartita^{a)} exposuit, quae, cum animaduersiones haud parui pretii contineret, a plurimis chirurgis valde probata est. Nihilominus tamen alii partes contrarias strenue tuentur, inter quos CAR. BELLIVM eminere puto, qui post IONESII repetita experimenta, in explicatione euentus ita a IONESIO discedit, vt in summa experimentorum similitudine maximam decretorum inde pendentium diuersitatem locum habere posse adfirmet. Ac primum quidem BELLIVS acriter impugnat IONESII conamina parietes internos vasorum dirumpendi, eaque plane reiicit, ne vulnera lacerata efficiantur, quibus nil magis in chirurgia pertimescendum sit, ac probare conatur, hanc dilacerationem tunicarum minime esse necessariam, sed

a) A treatise on the process employed by nature in suppressing the hemorrhage from divided and punctured arteries: and of the use of the ligature, etc. by J. F. D. JONES, Lond. 1805.

potius impedire vnionem parietum: deinde arctam fili constrictionem damnat, et ad experientiam prouocat, quae ipsum docuerit, vel laxissimam funiculi applicationem ad hunc finem sufficere: formam denique fili cylindricam minime laudat, sed consuetam potius retinendam esse censet ^{a)}.

Equidem, cum horum auctorum doctrinam comparassem, et quo meo ipsius vsu cognoscerem, quid inter amplum ac tenerum, nec non inter latum et rotundum filum discriminis inueniretur, plura pericula feci, ex quibus hasce ligaturas in omnibus inter sese conuenire intellexi, saepiusque vidi, quoduis filum vel latissimum, ligandae arteriae adhibitum in rotundum mutari. Quocirca a recepta consuetudine non recedo, sed maiores arterias amplis, parvas teneris ligo filis, nec vnquam noxam exinde ortam esse perspexi. Quam quidem sententiam BECLARDVM ^{b)} etiam amplecti laetor.

Filorum *applicatio* mihi quidem in *simplicem* et *compositam* diuidi posse videtur ^{c)}. Qui priorem defendunt, filum acus foraminulo immissum arteriae subducunt, nodum simplicem nectunt, eumque vel altero nodo, vel laqueo addito firman. Qui posteriorem praeferunt, adminiculum quoddam, felicioris exitus causa, ab illis pro inani habitam, adiungunt, idemque maxime necessarium esse credunt, quia simplicem fili constrictionem fini optato adsequendo imparem habent. Hisce adnumerandi sunt omnes, qui arteriam supra saccum aneurysmaticum duabus circumdant ligaturis, ita vt inter eas spatium pollicem aequans intersit, deinde arteriam dissecant, quo eius partes sese melius contrahant. Quae agendi ratio inprimis in Britannia fuit vsu recepta, et a variis vario modo peracta. CLINIVS v. c. ligatura facta vtrumque fili finem in acus foramen inserit, illudque per arteriam acus ope sub ligatura superiore perforatam ducit, nouumque nectit nodum, deinde idem repetit supra ligaturam

a) Surgical observations, part. 3. Lond. 1817. pag. 259.

b) AMMONIS l. l. eadem pagina.

c) Inter omnes LAMBERTVS mihi minime audiendus videtur, qui arterias laesas perinde ac aneurysmaticas suturae circumflexae auxilio sanari posse arbitrabatur.

inferiorem, quibus factis arteriam dissecat. Cuius quidem agendi rationis causam CLINIUS hanc addit, quod saepius haemorrhagiam secundariam a filo immature delapso ortam observauerit, quam postea, suam methodum secutus, semper felicissime praecauerit. Neque vero numero chirurgorum, qui compositam ligaturam praeferrunt, eximendus est HVNTERVS, qui procul a sacco aneurysmatis quatuor ligaturas securitatis causa in usum vocauit, quarum duae arcte, duae vero, (*ligature d'attente Gallorum*) laxae applicantur. LAWRENCIVS, vir mea laude longe maior, mihiq; ob fraternam fere, quam in me contulit, benevolentiam carissimus, in commutatione peculiari ^{a)} suam nobiscum communicat ligandorum vasorum methodum, quae a IONESIANA modo parum recedit, addita tamen observatione, fila e regno animali desumpta illis, quorum materiam regnum vegetabile suppeditat, praeferrenda esse, quapropter fila sericea, singulari modo parata, tanquam tenacissima, ac simul levissima adhibet, tenuibus vasis crassa, amplis autem tenuia iniicit, eorumque fines proxime ad nodum abscindit, ut tota ligatura partis sexagesimae grani pondus haud excedat, speratque fore, ut sanatio per primam intentionem hac via melius, quam ullo alio modo promoveatur. Nec minus laudat chordae usum, quae aut sensim sensimque eiiciatur, aut potius omnino absorbeatur, id quod filis e vegetabili regno depromptis usurpatis non fieri soleat. Plures celebres chirurgi hanc vasorum ligandorum rationem optimo cum successu secuti sunt. Inter quos inprimis BENI. TRAVERSIVS ^{b)} eam tanto cum plausu excepit, ut statim pericula in arteriis laesis institueret, fila autem post aliquot horas adimeret, quod quo commodius fieri posset, non verum nodum, sed laqueum nectebat, qualem nos ante venae sectionem applicare solemus, et quem Angli nodum currentem ^{c)}, appellare solent. Hanc vasa ligandi rationem postea LAWRENCIVS, TRAVERSIVS atque DELPECHIVS ^{d)} ad operationem aneurysmatis felicissimo cum successu transtulerunt.

a) Medico-chir. Transact. Vol. VI. pag. 156.

b) Med. chir. Trans. VI. 632.

c) ibid. Tab. V. fig. 1.

d) cliniq. chir.

ANTONIUS SCARPA chirurgorum Italicorum facile princeps longe abest, ut cum his viris consentiat. Etenim in ligandis arteriis aneurysmaticis nil peius, quam tunicae mediae et internae discissionem accidere posse censet, quippe quae sit praecipua haemorrhagiae causa. Quam ob rem singularem vasa ligandi modum inuenit, maximis ab eo laudibus celebratum, cuius ratio haec est, ut particulam emplastri adhaesiui, in linteo extensi, conuoluat, donec cylindrus aliquot lineas crassus sit formatus: hunc arteriae ligandae impositum simul cum arteria ligatura comprehendit, quae arteriae parietes inuicem adprimit, et ut concrecant inuicem, efficit. Quod quidem verissime locum habere, mea etiam me docuit experientia, nam arteria SCARPIANO more vel arctissime constricta neque in eo latere, quod a cylindro tegitur, neque in opposito rupturam tunicarum praebuit conspiciendam. Quae quamquam ita se habent, hanc tamen SCARPAE methodum omni vituperio superiorem non habuerim, illius praecepti, quod nos, quae paucis fieri possunt, non per plura efficere iubet, memor. Quapropter cum summam simplicitatem cum maxima securitate coniungere studeo, in filis applicandis LAWRENCIUM prae ceteris sequor; non quod existimem, hac via vulneris unionem immediatam perfici posse, sed ut vinctura plagae subleuetur. Quid de chordae usu iudicem, iam antea exposui. Addendum mihi denique videtur, me vnum tantum vinculum arteriae iniicere, quod sine noxa factum esse, ex hisce morborum historiis manifestum est.

Ne de *soluendo* quidem filo eiusdem opinionis sunt chirurgi. Olim enim nemo dubitauit, quin separatio ligaturae a natura medicatrice expectanda sit: ex quo vero TRAVERSIVS^{a)} sua promulgauit experimenta, nonnulli in oppositam abiire sententiam. TRAVERSIVS enim pluries in animalibus arteriam vinculo circumdedit, quod cum post duodecim horas remouisset, non sine laetitia animaduertit, vasculum lympa coagulabili repletum esse, vnde spem concepit, fore, ut haec fili remotio magnam vim in sanationem vulneris habeat.

a) Med. chir. Trans. VI. 632.

A. SCARPA ^{a)} in senibus ac debilitatis hominibus quinto, in iunioribus vegetisque vero quarto die filum tollendum esse docet, metuens, ne alias haemorrhagia secundaria vitae praesentissimum periculum inducat.

VACCA BERLINGHIERI ^{b)} fatetur, parietum unionem non semper eodem tempore fieri, et haemorrhagiam non nisi in hominibus, aegritudine aliqua laborantibus timendam esse, filique solutionem organismi viribus relinquendam.

Equidem SCARPAE metum, (quod pace Viri Illustris dixerim) vanum esse, eo magis iudico, cum Vir Illustris ^{c)} concedat, saepissime nil interesse, num sustuleris ligaturam, nec ne. Numquam ego filum arte separavi, neque ullam inde ortam observaui haemorrhagiam. Multo certiores credo esse VACCAE sententiam, quippe cum naturam quoad tempus, quo ligaturam expellit, vix umquam easdem leges sequi videamus. Sic, ut etiam antea exposuimus, a duodecimo usque ad vigesimum nullum observaui diem, quo fila excidere non vidissem, et semel post sex septimanas demum ligaturam separatam fuisse vidi. Neque id mirum nobis videri potest, cum etiam post reclamationem cataractae resorptionem in hoc aegrotis cito, in alio lente procedere sciamus? In femina quadragenaria, olim morbo syphilitico affecta, cataractam reclinaui, lens in cameram anteriorem prolapsa indies magis magisque imminuta post paucas septimanas sese oculis meis penitus subduxit. In infantibus, quamvis in his resorptio celeriter procedat, tamen contrarium sese mihi obtulit; nam post plurium mensium spatium lens ne minime quidem mutata inueniebatur. Quid dicam de unionem ossium fractorum? In Iudaeo quodam sexagenario collum ossis femoris fractum vix quinque septimanis praeterlapsis ita denuo coaluerat, ut vir nosocomio valedicere, pedibusque sani hominis more uti posset.

Ceteroquin mihi persuasum est, haemorrhagiam illam serius accedentem nec a ligationis ratione, nec a morbo ullo latente, nec

a) *Sammlung einiger Abhandl. von SCARPA, VACCA BERLINGHIERI und VCCELLI über die Pulsadergeschwülste. Aus d. Ital. durch SEILER, Zürich 1812.*

b) l. l. p. 60.

c) l. l. p. 87.

denique ab omiſſa fili ſeparatione, ſed maxime a nimia rami lateralis vicinia oriri. CAR. BELLII ^{a)} experimenta enim probauere, lympham coagulabilem a vinculo incipere, ſed vltra arteriolam lateralem proximam non extendi, qua de cauſa caueri debet, ne in propinquitate rami deligemus arteriae truncum.

VII. Proſiteor, me iis minime adſentire, qui, quo maturius perficiatur aneurysmatis ligatio, eo tutiorem eam eſſe adfirmant: contra ea equidem ſoleo, quantum fieri poteſt, hanc operationem differre, quo vaſa dilatentur lateralia, quod inprimis in iis accidit, quae oſſi proxima ſunt, vti exemplar in theatro noſtro anatomico aſſeruatum luculentiffime monſtrat. Quam mutationem vaſorum feliciffimam eueniſſe, optime cognoscere poteris, cum arteriae ſub tumore aneurysmatico ſitae micatus cum illis arteriae eiufdem in altero latere comparaueris.

a) l. l. p. 263.

ICONVM EXPLICATIO.

Cum fere omnes figurae in Tab. aen. conſpiciuae in libello ipſo ſint explicitae, paucae tantum hic explicandae reſtant:

TAB. I.

Prope No. I. et II. figurae paruae curuatae horum ipſorum instrumentorum faciem convexam et ſulcatam ſignificant. Sub inſtr. Ravatoniano cochlea tam ſola, quam cum trabecula coniuncta in conſpectum venit.

TAB. II.

XI. c. canaliculus inſtr. Wattiani cum elatere latente.

TAB. III.

XII. b. arcus inſtr. Dupuytreniani.

TAB. IV.

XX. A. Facies externa canalis quadranguli inſtr. Langenbeckiani. g. Elater eiufdem inſtr. XXII digitus digitali armatus, cum duobus annulis acus Prevostianae receptioni dicatis.

